



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio V. Argumentum. Declaratur primum Decalogi præceptum; quæ sint peccata Religioni opposita? Quid & quotuplex sint Adoratio, ac Oratio? An liceat vendere Agnos cereos benedictos? Et nullam ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Ad Quartum. Quid sit Charitas in Deum? Alii esse amicitiam hominis ad Deum supernaturalem. *Ex Tolet. lib. 4. cap. 8. num. 1.* Alii esse Virtutem supernaturalem, qua Deum super omnia appetitativè diligimus. *Ex Tamb. in lib. 2. in Decal. cap. 3. §. 1.*

Ad Quintum. Qua, & quot peccata contra charitatem Dei; Alii, quod tot sunt peccata contra Dei charitatem, quot sunt transgressiones Præceptorum, juxta illud Jo. 14. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Alii esse duo. Unum, omnium maximum, nempe Odium Dei, in quod cadunt impij, cogitantes Dei Justitiam punitivam culpæ. Alterum, Accidiam, videlicet tardium, & tristitiam bonorum operum, quæ opponitur charitati, cujus proprius effectus est gaudium in operibus spiritualibus. *Abely in med. Theol. part. 2. Tract. 2. cap. 4. sect. 1. §. 3. ad finem.* Et mea Erotemata cap. 12. in quo plenè de hac virtute, & de vitiis ei oppositis.

Ad Sextum. Quo tempore obligentur homines ad eliciendum actum charitatis Dei? Omnes difficillimam rem dixerunt cum Nayar. in man. c. 11. n. 7. A pluribus plura relata sunt tempora: Videlicet. 1. In initio usus rationis. 2. In fine vitæ. 3. Semel saltem in singulis mensibus. 4. Festivis diebus. 5. Adulti dum baptizantur. 6. In sumptione Eucharistiæ. 7. In martyrio. 8. Ubi magnum beneficium à Deo recipitur. 9. Quando quis impius auditur, Deum blasphemare. 10. Ubi gravis urget tentatio contra Dei amorem. Ita ex Tamb. in Decal. lib. 2. cap. 3. §. 2, Alii, quando agitur de justificatione peccatoris, videlicet de elicienda contritione, deficiente confessario. *Ex Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 4. q. 1.* Alii tandem, non reperiri præcisam obligationem eliciendi específicos actus amoris Dei, sed sufficere observantiam Divinorum Præceptorum, quia Plenitudo legis est dilectio. *Rom. 13. 10.* Ita ex Tamb. d. §. 2. num. 3. At hæc opinio videtur damnata à Summ. Pont. Alex. Sept. propof. prima. & Innoc. XI. propof. 5. 6. & 7. Ex quibus tenere oportet, frequenter esse eliciendos actus charitatis in Deum, ut docent Cardin. de Laurea, & Cardinas, quos allegant mea Erotemata d. cap. 12. num. 4.

#### AD PRIMUM CASUM.

Quæritur, An peccent mortaliter, qui ultimum finem ponunt in hac Vita, & vellent hic semper permanere, & nunquam mori? Plurimi responderunt affirmativè. Studiosiores distinxerunt. Vel nunquam vellet mori, præferendo delicias hujus sæculi Visioni, & Fruitioni divinæ, & in hoc casu mortaliter peccaret. *Bon. in primo Decal. præcept. disp. 3. quæst. 4. par. 1. in fine.* Vel cuperet remanere semper in hac vita timore Judicii, & non peccaret mortaliter. *Casrop. & Sanchez, quos citat, & sequitur Tamb. d. lib. 2. in Decal. cap. 3. §. 1. n. 3.* Mea Erotemata d. cap. 12. num. 6.

#### AD SECUNDUM CASUM.

Quæritur an peccet infirmus, & cujus peccati sit reus, si respuat omnem medicinam, ea ratione, quia protestatur, se sperare in Deo, à quo sanari potest sine medicinis? Alii peccare contra quintum Præceptum Decalogi, & esse reum suidii, id est homicidii sui ipsius. *Nald. Verb. infirmus num. 1.* Alii, peccare contra Religionem tentando Deum. *Tolet. lib. 4. c. 19.* Alii peccare contra

spem, nisi excusetur in deliberatione, vel peculiari instinctu Spiritus Sancti. *Tamb. d. l. 2. cap. 2. §. 2. & prædicta mea Erotemata cap. 11. n. 7.* ubi alii Doctores.

#### AD CASUM PRUDENTIALEM.

Quia Deus graviter offenditur in choreis, & saltationibus, ideo notentur media, ac remedia, ut retrahantur fideles à dictis saltationibus, & choreis. Super hoc data fuere sequentia. 1. Saltare, ut à Superioribus prohibeantur. 2. Monere auctores, & ductores chorearum, eos reddituros esse rationem Deo de omnibus peccatis, quæ ibidem committuntur. 3. Ostendere fidelibus, choreas esse à diabolo inventas. 4. In ipsis sæpe sapius honestatem puellarum periclitari. 5. Eisdem choreas esse seminarium peccatorum, ob commotionem sensuum visus, tactus, & aliorum, & illas frequentantes esse in periculo damnationis æternæ; quia difficile est, videndo, non commoveri; tagendo, non aduri; vestitu non superbire. 6. Narrent exempla ex historiis Ecclesiasticis eorum, qui ob has saltationes fuerunt puniti à Deo. 7. Legant Parochi Marchantium, seu Hortum Pastorum lib. 3. tract. 3. lect. 10. ubi plures Doctrinæ, rationes, & auctoritates contra saltantes. Item legant S. Franciscum Salesium Introductione alla Vita divota part. 3. cap. 32. Ubi optima documenta. 8. Demonstrant Parochi, deesse in choreis bonum utile, quia tempus, & pecunia consumitur; bonum honestum, quia inhonesta tractantur; & bonum delectabile; quia labor, incommoda, ac sæpe infirmitates à saltationibus prodeunt. 9. Habeant liberculum, cujus titulus. Il Ballo promiscuo Auctore P. M. Benedicte Bovio impressum Tarvisi anno 1670. 10. Parochi incessanter arguant, obsecrent, increpent in suis sermonibus choreas. 11. Legant, & referant exempla del Praro Fiorito, & Ex Sylva Historiali Jo. Baptistæ Matthioli impressa Venetiis apud Paulum Baleonum 1672. in qua plurima, eaque luculenta reperiuntur lib. 7. cap. 1. tit. 5. 12. Occupatum teneant populum in Ecclesia, in oratione. 40. horarum, in recitatione Rosarii, in Verbo Dei audiendo, & in aliis pijs exercitationibus, ne otiosus convolet ad choreas. Videant mea Erotemata cap. 73. num. 24.

#### DECISIO QUINTA.

##### ARGUMENTUM.

Declaratur primum Decalogi præceptum; quæ sint peccata Religionis opposita? Quid, & quotuplex sint Adoratio, ac Oratio? An liceat vendere Agnos cereos benedictos? Et nullam recitare in die Orationem? Dantur modi excitandi populum ad devotionem, & Orationem.

##### SUMMARIUM.

1. Virtutes quamam sint exercenda pro adimplendo primo præcepto Decalogi?
2. Peccata quamam sint contra primum Decalogi præceptum?
3. Adoratio quid, & quotuplex sit?
4. Oratio quid sit? & quotuplex?
5. Simonia est vendere Agnos Cereos benedictos.
6. Orationem ullam in die qui non recitat, an peccet?
7. Argumenta pro excitandis populis ad frequentiam Orationis.

Ad

Ad infra scripta Quasita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dicere.

**AD PRIMUM.** Qua sint virtutes exercenda pro adimplendo primo Præcepto Decalogi? Plurimi, Tres Theologales, quia de his in hoc præcepto DD. agunt. Bonac. tom. 2. disp. 3. Reginald. tom. 2. lib. 2. cap. 1. usque ad 13. At alii ad illas duas præcipuas se restrinxerunt, quibus Deus Opt. Max. veneratur, nempe Adorationem, & Orationem. Tamburin. in lib. 2. cap. 4.

**AD SECUNDUM.** Qua sint peccata opposita Virtuti Religionis, & huic primo Præcepto Decalogi? Ex diversis auctoribus diversa collegerunt; quæ omnia sunt, Superstitio, Idololatria, Magia, Divinatio, Vana observantia, Maleficia, Sacrilegium, Blasphemia, & Simonia. Toler. lib. 4. a cap. 13. usque ad 19. Reginald. tom. 2. tract. 4. capit. 14. Layman. lib. 4. tract. 10. capit. 8. Tamburin. in Decal. d. lib. 2. capit. 6.

**AD TERTIUM.** Quid, & quod duplex sit Adoratio? Esse actum, quo quis proficitur cognoscere, & colere excellentiam Dei; ideo Deut. 6. dictum est, Dominum Deum tuum adorare, & Matth. 4. MAGI procidentes adoraverunt JESUM. Triplicem autem eam asseruerunt ex S. Thom. 3. part. quæst. 25. Latrariam, qua adoratur Deus. Hiperduliam, qua Virgo Deipara. Et Duliam, qua Sancti adorantur. Adnotantes, quod per Latrariam dupliciter adoramus Deum; primo per se, & ratione sui, & sic adoratur Sanctissima Trinitas, Christus Dominus, & Eucharistia. Secundo per conjunctionem ad Deum, & hoc modo per Latrariam adoratur Humanitas Christi, Crux, & alia Instrumenta Dominicæ Passionis, quia licet ex se non mereantur talem adorationem, tamen ut quid unum cum Christo, & relata ad ipsum eadem adoratione Latrariæ coluntur. Suarez, tom. 1. in 3. p. d. § 1. sect. 2. & Tamb. d. lib. 2. cap. 4. § 1. n. 3. Mea Erotemata cap. 14.

**AD QUARTUM.** Quid, & Quod duplex sit Oratio? Plures, easque elegantes definitiones adduxere. At præcipue, quod Oratio, largè sumpta, est elevatio mentis in Deum. Propriè verò, Oratio est petitio, qua ad Deum, vel ad alium propter ipsum dirigitur, qua flagitamus bona nobis decerni. Thom. 2. 2. quæst. 83. Tamb. lib. 2. cap. 4. § 2. Duplicem autem eam dixerunt. Publicam, ut Horæ Canonicæ, Missa. Et Privatam, ut aliz preces fidelium, quam subdiviserunt in Vocalem, & Mentalem. Vocalis est, quam ore exprimunt orantes. Mentalis, quæ mente agitur, & ejus duæ sunt species. Ordinaria, & Extraordinaria, illa Meditatio, hæc Contemplatio. Ordinaria, seu Meditatio est illa, quæ fit per considerationem quatuor extremorum, Passionis Dominicæ, pulchritudinis Virtutum, deformitatis vitiorum, relevantiæ salvationis æternæ; ut inde homo magis excitetur ad beatitudinem, sanctèque vivendum. Extraordinaria, seu Contemplatio est illa per quam anima à Deo elevatur, vel plenè, vel semiplenè extra sensus, & miro quodam modo in divinis eruditur, per internam Sancti Spiritus elocutionem, ut explicat Lud. à Ponte Soc. Jesu in suis Medit. part. 1. in Introduct. a § 1. usque ad § 13. Rodriguez in Exercit. perfect. part. 1. tract. 6. cap. 4. Et mea Erotemata c. 16.

AD PRIMUM CASUM;

Quidam habebat Agnum Dei Cereum, benedictum

à S. Pio Papa Quinto, & quia audivit eum esse magis valoris, & in multa asimatione, illum vendidit quinque ducatis. Timet peccasse. Quæritur, an peccaverit, & possit absolvi? Responsum fuit, peccasse culpa Simoniaca. Bonac. de Simon. disp. 1. quæst. 2. n. 6. Et incurrisse excommunicationem latam à Gregorio XIII. de qua Quarant. in Summ. Bull. verb. Agnus Dei, & Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 9. quæst. 1. Sed posse absolvi, quia nulli dicta censura est reservata. Barb. allegat. 50. num. 150. Immo non incurrisse in excommunicationem, si de ea scientiam non habebat. Theaur. de Panis Eccles. part. 2. Verb. Agnus Dei limitat. prima. Advertentes, quod non peccasset, si vendidisset ratione solius materiæ, ut contra Azorium tenet Jo. Ant. Novarius in Summ. Bullar. Comment. 3. num. 2. De Virtutibus, quas habent Agni Cerei à Papa benedicti, videantur mea Erotemata cap. 15.

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam in Confessione exponit, se solitum nullam Orationem dicere, sed à summo mane usque ad 6 Vesperas negotiis domesticis vacare. Quæritur, an peccatum committat, & possit absolvi? Varii varia scripserunt; Alii, non peccare, quia, Præceptum Divinum orandi non habet per se determinationem præcisam temporis, sed solum per accidens, ratione, vel boni acquirendi, vel mali avertendi. Reginald. lib. 4. capit. 9. num. 75. Coron. lib. 1. controvers. 10. cap. uncio nu. 7. Sed alii, & quidem securius, prædictum non orantem peccare, tum ratione consuetudinis, qua quilibet, etsi impius, se Deo quotidie commendat, dicendo saltem Pater, & Ave. Tambur. in Decal. lib. 2. cap. 4. § 2. nu. 4. tum omissionem medii adeo necessarij, secundum legem Dei ordinariam ad salutem consequendam; ut eruditè docet Paulus Segneri Soc. Jesu in aureo opusculo, cujus titulus Il Penitente istruito cap. 13. Et ideo non posse absolvi, nisi proponat emendationem. Lessius libr. 2. cap. 37. dub. 3. num. 11.

AD CASUM PRUDENTIALEM

Notentur industria, modi, & remedia ut populus devotionem acquirat, & frequentet orationem rium Vocalem, tum Mentalem. Adhuc concorditer omnes dixerunt. 1. Quod Parochi eum crebro doceant utilitatem, & excellentiam orationis, de qua plenè apud P. Alphonsum Rodriguez Exercitio di Perfezione part. 1. tract. 5. per totum. 2. Eam non esse causam mœstitiæ, mœroris, vel melancholiæ, sed gaudij, lætitiæ, & fructus, ut apud P. Francisc. Stadier. Soc. Jesu in libro Inganni della Via Spirituale tract. 14. cap. 1. & S. Franciscum Salesium Introduzione alla Vita divota part. 2. capite primo. 3. Quod pueri instruantur de hac necessitate orandi præcipue tempore Doctrinæ Christianæ. 4. Quod Parentes moneantur, se orantes præbere filiis suis, & secum illos mane, & Vespere recitare faciant pias preces ad Deum, Deiparam, & Sanctos. 5. Quod de hoc præcipue interrogentur, & urgeantur in Confessionibus. 6. Quod discant homines, Deum non longe esse ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. Act. 17. ideo ejus præsentiam Divinam attendentes, sciant promptè, & devotè orare. 7. Quod determinet unusquisque aliquam temporis partem sibi

sibi magis liberam ad orandum; & in ea quotidie fideliter oret. 8. Parochi explicent tot Sacra Scripturae oracula, quae orationem, & devotionem commendant. 9. Narrent exemplum Redemptoris, Apostolorum, & Sanctorum, qui enixe orationi vacarunt. 10. Legant Parochi Catechismum Romanum part. 4. c. 1. & 2. & nunquam cessent, excitare fideles, qui ideo indevoti, quia non redarguntur, & non instruuntur.

DECISIO SEXTA.

ARGUMENTUM.

Agitur de Divino officio, ac Horis Canonicis, & de iis, qui ad eas sunt obligati. An Canonicus Coadjutor obligatus sit recitare Divinum Officium, & ille qui habet beneficium? Monita pro recitando Officio Divino devotè.

SUMMARIUM.

1. Officium Divinum quid sit?
2. Hora Canonica à quibus sint recitanda de præcepto?
3. Horas Canonicas, qui non teneantur recitare?
4. Regulares quinam sint non obligati ad Chorum?
5. Canonicus Coadjutor an debeat recitare Officium Divinum.
6. Beneficium tenue quale sit, ne obliget ad Horas Canonicas?
7. Remedia duodecim pro recitando Officio cum devotione?

Ad infra scripta Quaestiones, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.

**Ad Primum.** Quid sit Divinum Officium, seu Hora Canonica? Esse certam orationem laudandi publice Deum, & precandi mente, & voce, autoritate Praefulum institutam. Bellarm. lib. 1. de bonis operib. cap. 10. Vel esse laudem Dei voce expressam per institutionem Ecclesiae determinatam. Tolet. lib. 2. cap. 10. num. 1.

**Ad Secundum.** Qui teneantur recitare horas Canonicas? Quatuor personarum genera, nempe Clerici Saculares in Sacris constituti, Beneficarii, Regulares ad chorum deputati, & Moniales. Grassus p. 1. cap. 10. n. 1. Tamb. lib. 2. in Decal. cap. 5. num. 2.

**Ad Tertium.** An dentur Clerici Saculares in Sacris, qui non teneantur recitare horas Canonicas? Ex pluribus DD. collegerunt, dari sequentes. 1. Dispensatum ex benignitate Pontificia ad Matrimonium. 2. Ordinum de facto in Sacris, qui antea uxorem habebat, si ad eam cogatur redire. 3. Damnatos ad triremes, vel captivos infidelium. 4. Detentos in publicis carceribus, nec non capite damnatos. 5. Affectos infirmitate, vel maximo aliquo animi morore. Ita Azor. Nayar. Squillante. Castropal. & alii, quos allegat, & sequitur Tambur. d. cap. 5. num. 4.

**Ad Quartum.** An dentur Regulares professi, qui non teneantur ad dictam recitationem? Affirmarunt de Regularibus choro non addictis, quales sunt Patres Societatis Jesu, & Militarium ordinum, qui nisi in Sacris sint, vel beneficium Ecclesiasticum habeant, ad recitandas horas Canonicas non tenentur Castrop. & Tambur. d. cap. 5. num. 6. An autem omnes Regulares, qui non sunt in Sacris, & Moniales professi

teneantur recitare Divinum Officium extra chorum? Vide mea Erotemata cap. 17. n. 9.

AD PRIMUM CASUM.

**Quidam Canonicus Coadjutor se accusat in confessione, qualiter illis diebus, quibus ad chorum non vadit Officium Divinum non recitat. Queritur, an peccet, & sit alicui poena obstrictus? Procefferunt cum distinctione. Vel talis Coadjutor habet aliquam partem fructuum beneficii, & non recitando officium, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Bonac. de Horis Canonicis. disp. 1. q. 2. punct. 4. num. 13. Vel nullos fructus habet, & à culpa est immunis, atque à poena. Grass. part. 1. lib. 2. cap. 50. num. 22. Summa Dian. Verb. Hora Canonica num. 11. Suarez lib. 4. cap. 22. num. 19.**

AD SECUNDUM CASUM.

**Quidam beneficiatus in confessione narrat, se non recitare Divinum Officium, quia ejus beneficium est tenue. Queritur, an peccet? An sit alicui poena obstrictus? Et quale reputandum sit beneficium tenue? Quoad peccatum, tres adduxerunt sententias. Negativam ex Soto de Justitia, & Jure lib. 10. qu. 5. artic. 3. e ratione quia, qui de Altari non vivit, altari non tenetur servire. capit cum Secundum Apostolum. De Praeben. Affirmativam, quod scilicet peccet, & teneatur restituere fructus, ex Bonac. de Horis Canonicis. disp. 10. quaest. 2. part. 4. num. 17. ex pluribus rationibus ibi allegatis Mediam, quod non peccet, si recitet saltem diebus festis, & Dominicis; prout ex Lessio, & Maldero notat Coron. in Summa Dian. Verb. Hora Canonica num. 7. Ceterum in Curia Patavina placuit affirmativa; quam tuetur Pyrrh. Corad in paraxi dispensat. lib. 4. cap. 2. num. 53. firmans, hisce temporibus omne beneficium, quamvis tenue obligare ad Divinum Officium. Porro circa tenuitatem, alii eam posuerunt in aureis octo ex Soto ubi supra; alii in aureis sexdecim ex Sanchez in opus. tom. 1. lib. 2. cap. 1. dub. 57. num. 5. Alii in tertia parte Ecclesiastici Patrimonii ex Tamb. in dec. lib. 2. cap. 5. §. 1. num. 25. quæ in hac Dicecesi erit in Ducatis tredecim cum dimidio circiter; eo quia admittuntur Clericis in Sacris Patrimonia ducatorum quadraginta ex Synod. Patav. p. 1. c. 16.**

AD CASUM PRUDENTIALEM.

**Quia plures Ecclesiastici committunt graves negligentias in recitatione horarum Canonicarum, notentur modi, & remedia, ad recitandas cum Devotione. Pro executione dixerunt. 1. In initio cujusque horæ reflectendum ad ejus significatioem; nam, ut scribit Tolet. lib. 2. cap. 11.**

*Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.  
Prima replet spiritus; dat causam Tertia mortis.  
Sexta Cruci necit, latus ejus Nona biperrit.  
Vespera deponit, Tumulo Completa reponit.*

2. Recitare non ex usu, sed pia in Deum mente.
3. Seligere locum, & tempus opportunum.
4. Nolle in curas exteriores advertenter advertere.
5. Non cursim, & rapide, sed debito sonu, & distantia Psalmos, & lectiones legere.
6. Attendere tum ad literalem, tum ad mysticum sensum.
7. Scire, se ad Dei praesentiam, & ejus laudes profari, quod est munus Angelorum, juxta illud Ps. 137. In conspectu Angelorum psallam tibi.
8. Non memoriter, sed ex Breviario legendo recitare.
9. Recordentur, scriptum esse,

*Male*